



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis Universa, Complectens Omnia Morum Præcepta, Et Principia Decisionis Omnium Conscientiæ Casuum, Suis Quæque Momentis Stabilita

Ad usum Parochorum, & Confessariorum

Continens Tractatus de Conscientia, de Legibus, de Peccatis, de Virtutibus
Theologicis, de Religione, & Beneficiis. Adjunctis in hac editione
Propositionibus ad hanc usque proscriptis

Antoine, Paul-Gabriel

Ingolstadii, 1734

VD18 90392140

Q. 3. An metus excusat à Peccato?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40986

aliquid disconvenire naturæ rationali, simul saltem confusè dicitur illud idem displicere Supremo Enti, naturæ rationalis Authori; & Rectori, cujus est eam convenienter sapientiæ, ac sanctitati suæ regere. Hinc Alex. VIII. ut erroneam damnavit hanc propos. *Peccatum Philosophicum seu morale est actus humanus disconveniens naturæ rationali, & rectæ rationi: Theologicum verò, & mortale est transgressio libera legis divinæ. Philosophicum quantumvis grave in illo, qui Deum vel ignorat, vel de Deo actu non cogitat, est grave peccatum; sed non est offensa Dei, neque peccatum mortale dissolvens amicitiam Dei, neque aternâ penâ dignum.*

Q. 2. *Quanam excusant à Peccato?*

Resp. Cùm peccatum sit essentialiter liberum, & voluntarium, vel in se, vel in alio; excusat generatim ab eo, quid quid tollit voluntarium & liberum: ut ignorantia invincibilis, quia tollit voluntarium; vel impotentia Physica, quia tollit liberum; aut metus, vel passio antecedens tollens usum rationis, quia utrumque tollit. Quod autem auget, vel minuit liberum, aut voluntarium, cæteris paribus auget, vel minuit peccatum.

Q. 3. *An metus excusat à Peccato?*

Resp. I. Metus levis nunquam excusat à Pec-

Peccato. Quia non tollit voluntarium nec liberum; nec excusat ab observatione ullius legis, cum sit vanus, & lex quælibet obliget saltem cum aliquo incommodo. Hinc regula 144. ff. de regul. Jur. *Vani timoris justa excusatio non est.*

Resp. II. Metus gravis nunquam excusat hominem sui compotem in iis, quæ sunt intrinsicè mala, seu prohibita lege naturali. *Inter omnes constat.* Quia ea non desinunt esse mala in quovis periculo, ac vetita; & aliunde metus ille non impedit voluntarium simpliciter, ac liberum. Nul- lum autem peccatum, etsi veniale facere licet ad vitandum quodvis aliud malum: nam quodvis peccatum, etiam veniale, ut- pote offensa Dei Entis Supremi, & in omni perfectione infiniti, est malum gravius quo- vis alio, quod non est peccatum. Dein- de omne peccatum ut peccatum est intrin- secè, & essentialiter illicitum: ergo nun- quam ob ullum bonum, aut malum poena- le potest esse licitum, nam natura, & essen- tia rerum mutari nequit. Unde ad tuen- dam vitam propriam non licet mentiri.

Metus tamen gravis minuit culpam; ex c. *Sacris, de iis, qua vi, &c.* Ibi: *Licet me- tus attenuet culpam, tamen non eam pror- sus excludit:* quia minuit, sed non tollit voluntarium. Nunquam tamen sic cul- pam attenuat, ut eam de mortali faciat ve- nialem in materia gravi, ut patet in iis, qui

metu diræ mortis idolis sacrificarunt: quia nempe relinquit consensum sufficienter liberum, nam eo non obstante actus procedit à voluntate cum cognitione etiam perfecta, & fit ex electione, & absque necessitate physica, ita ut possit non fieri.

Resp. III. Metus prudens damni gravis excusat à peccato, in iis, quæ sunt contra legem non obligantem cum gravi damno. Nam excusat ab observatione talis legis. Lex autem humana ordinariè non obligat cum gravi detrimento; nisi charitas, vel bonum commune, vel vitatio scandali, aut contemptus Religionis, potestatisve legitimæ id exigat.

Q. 4. Quomodo dividitur Peccatum?

Resp. IV. Dividitur præcipuè 1. in Originale, quod in ipsa origine ab Adamo contrahimus; & Personale, quod peccantis voluntate physice propria committitur 2. In Mortale, & Veniale. 3. In peccatum Commissionis, & Omissionis. 4. In Actuale, & Habituale. 5. In peccata contra Deum, contra proximum, & contra ipsum peccantem, ratione scilicet virtutum, contra quas peccatur. Sunt enim quædam virtutes, quæ habent Deum pro objecto immediato, ut fides, spes, charitas: unde peccata, quæ illis adversantur, sunt speciali modo contra Deum. Aliæ habent pro objecto